

Dubia itaque admodumque vexata illa nobis videtur Massæ sanguineæ resolutio, quando cum CRAANEN *tract. de homine cap. 17. p. 762.* tam varia eidem tribuuntur principia, videlicet *aquea*, quæ sanguini fluiditatem, *terrea* quæ consistentiam, *salina* & quidem in genere, seorsim autem *acida* & tandem *oleosa*: de quibus singulis quidem generatim asseverare possumus, quod massæ sanguineæ inexistant, & quidem *volatilis* & *fixæ* consistentiæ, nec tantum *acida* & *alcalia*, sed & *mediæ* essentiæ, ut cum eodem auctore exclamare possimus, *hæc salina principia particulas habent rigidas, acuminatas, teretes, tricuspides & similes, ita ut reapse liceat exclamare, quis est, qui salium species enumeret? nemo horum, i. e. hominum: sed sine dubio multæ adsunt nitrosæ, partim ex aëre per pulmones in sanguinem intrusæ, partim ex alimentis: in qua exclamatione quædam vera, aliqua etiam erronea & ficta sunt. Similiter VATERUS in physiolog. experiment. Sect. 7. c. 24. tb. 4. heterogeneas partes salinas huic massæ tribuit, quas a saporabilitate illius & resolutione chymica, dum copiosum Sal volatile urinosum præbet, ut & a putrefactione ejusdem, quæ præter fœtorem simile Sal volatile probat, relicto sale fixo & salso: quæ tamen analysis denuo nobis anceps & coacta videtur: tandem reminiscimur examinis sanguinis bovini & humani Chymici, quod satis amplifice VERHEYEN in Supplemento anatomico tr. I. cap 9. p. 32. sq. exponit: sed & in eodem facile apparet, quod aut prævia putrefactione, aut tortura nimii ignis sanguini ingens vis illata fuerit, ut facile alia, quam quæ naturali statui ipsius competunt, inde producantur, subjecta, & ab artificiali*